dem, libro decimo de bell. Punico. faciat mentionem. Duæ ergo ſunt canum iſtorum ſpecies; alii enim mediocres, alii quidem minores, ſed iidem & pulchriores, ac aurbus fere ad terram demiſſis; utrique autem eo ingenio & ſagacitate, ut ſtatim atque conſpexerint feram vel ejus veſtigia odore perceperint, tanta aviditate per ſaltus, ſepes, valles & montes ea proſequuntur, ut non ante quieſcant quam vel feram invenerint vel venatori ſuo deignarint; quocirca magnis etiam pretiis exteri eos canes licitantur, quos in alias oras hinc avehant.

Aves feræ. Hæet & perdices etſi non ex earum genere, quas Florentini *coturnices* dicimus: præterea phaſianas, turtures. In ſumma omnes hic fere invenias avicularum plus quam mediocrium ſpecies; nominatim vero alaudas, quorum ingens eſt numerus, quæque bonitate ſimul & ſuavitate Anglicanis fortaſſe non cedunt. Pavones etiam, cygni, ardeæ, ciconiæ, anſeres, anates, gallinæ Africana, Jndicæ, Cimbricæ & noſtrates magnitudine & bonitate laudabiles in magna copia viſuntur; ſicut & columbarum, tam ferarum quam domeſticarum varia genera. Tanta inſuper in Batavis avium aquaticarum copia, tam variæ ſpecies ut non ſolum ſpectatores ſed & ipſos aucupes cum animi voluptate afficiant.

Forma Incolarum. Indigenæ hujus terræ forma ut plurimum ſunt venuſta, corpus iis quadratum, ac juſto temperamento aptaque compoſitione decorum, & inter alias quidem membrorũ proportiones, pulchra valde tam viris quam fæminis crura. Statura in univerſum ſunt juſta, quam multi tamen excedunt præſertim in Hollandia & Friſia, ub corpore fere prægrandi & ſupra modum procero. A primordiis Belgæ ſemper fuerunt addicti religioni, quare etiam inter primos Galliæ & Germaniæ populos inventi, qui ſalutari Chriſtianorum fidei dederunt nomen, faciente Divo Materno Ticinenſi primo Tungrorun Epiſcopo jam inde ab anno Chriſti centeſimo primo, quam & religioſiſſime ſemper tenuerunt & maxima veneratione proſecuti ſunt.

Virtus Belg. in bello. In bello tam maritimo quam terreſtri, ſive id equitatu gerendum, ſeu peditatu valde fortes, præſertim ubi ducem aliquem nacti acrem & ſtrenuum, quales vix unquam is deſunt. Accedit & ſumma rerum maritimarum peritia, qua fit, ut navibus ſuis, quarum infinitus pœne eſt numerus, omnes fere mundi plagas adeant atq; perluſtrent & equidem ſine defatigatione quocunque anni tempore cum ventis quibuſuis & procellis colluctantes.

Homines docti. Eruditorum & in omni pene diſciplinarum genere verſatiſſimorum hominum magnus hic quoque numerus, unde & olim fuere hodieque ſunt complures, iiſque celebres valde ſcriptores. Nec minorem variarum linguarum cognitionem habent tam domi nati, ſeu qui peregre aliquando profecti, præſertim quarum in Europa omni plurimus eſt uſus, res & laude ſimul & admiratione digniſſima.

Ingenii ſolertia. Ingenium Belgis ſedatum & in omni ſorte plerumq; tranquillum. Fortuna cæteriſque rebus terrenis utuntur prudenter, & pro re nata; nec facile perturbantur, quo ipſum vel ex eorum ſermonibus atque adeo vultu facile colligas; vix enim niſi extrema ſenecta caneſcunt. Quod ſi qui in iis atræ bili magis obnoxii, & ut ſic dixerim Saturnini, dolori plus ſatis indulgent, ii videlicet, quod ferendo ſint impares, mox vincuntur & contabeſcunt. Viri in univerſum non nimis ambitioſi, iſta ut multos videas, qui poſtquam induſtriam ſuam aliquot annos exercuerunt, ac vel publico aliquo munere, vel mercatura, vel alia denique honeſta ratione ſufficienter auxerunt rem, cognatis & propinquis dent locum, laboribus corpus & animum laxent, ac in otium ſeſe, laudabili prorſus exemplo, recipiant, facultatum aliquam partem ædificationi, cui impenſe dediti, partem rurſus agrorum aliorumque proventuum emptioni impendentes.

Mulierum Belg. laus. Mulieres, præter inſignem formæ præſtantiam, quâ communiter quidem uti jam dixi, excellunt, compoſitiſſimis quoq; ſunt moribus, & nativa quadam venuſtate gratiaque decoræ, quod fit, quia inde à pueritia, recepto quodam & uſitato patriæ more, libere ſtatim & familiariter cum quibuſvis verſentur, unde & in ſermone & in cæteris vitæ commerciis, liberæ, promptæ, audaces.

Victus frugalitas. Domeſticus & ſolemnis familiarum in Belgia victus parcus admodum & frugalis. Potus fere cereviſia ex aqua ſemel atque iterum cocta; tum farre, hordeo, tritico & lupo ſalictario capta quadam & peculiari mixtura, confecta. Creber illis uſus lactis, pane ut plurimum victitant ſecalicio. Saliunt inde quotannis, pro familiæ quidem & facultatum modo, unum aut alterum bovem, tum & totidem ſues: hinc caſeo, butyro, altilibus, piſcibus ſale conditis & arboreis fructibus penaria ſua tam largiter inſtruunt, ut magnam anni partem indidem victitent, ac non niſi perraro quidquam à macellariis præſtinent, quæ parſimonia nonnunquam, tamen exceditur.

Artes. Artes Mechanicæ nuſquam magis quam hic vigent non ſordidæ illæ & vulgares, ſed nobiliores. In picturis excellunt quam maxime uti noſtro ævo palmam meruere Goltzius, Rubenius, aliique.

Academiæ. Academiæ Belgicæ ſunt Hiſpanicæ quidem ditionis *Lovanium* & *Duacum*: Confæderatarum Provinciarum Lugdunum-Batavorum, *Franekera*, & nuper erecta *Groninga*.

c et d

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: CIM 7 8111:2, [14] - -
PUBLIC DOMAIN